

manu in locum venit, cogitans quia is, qui minas suas seminando contemneret, ad eundem agrum sine armatorum praesidio non venisset. Sed cum propius accederet, contra se non mucrones ensium, sed missile orationum vidit. Tunc illud saxum pectus a feritate suae duritiae emollitum est; sola enim religionis contemplatione superatus, arma projecit, de caballo descendit atque ad sancti viri vestigia projectus, suae temeritatis veniam postulavit. » Ita habet ejus vita apud Sur. 4. martii. Qua ratione? Quam similis alius abbas occurrit alteri cuidam hosti sui monasterii, de quo haec scribit B. Petrus Damiani, in epist. ad Oldericum episcopum, l. IV. epist. ep. IX. « In Galliarum finibus audivi, inquit, gestum fuisse, quod refero. Inter abbatem et quemdam saeculi praepotentem orta est non levis de possessione contentio. Cumque a partis utriusque fautoribus nimis diu certaretur et jurgiis, tandem, ut armis ageretur, utrinque condictum est. Et saecularis quidem, paratis militum copiis, campum praeliaturus ingreditur, acies struit, cuneos ordinat, atque ad fortiter agendum omnium mentes acerrimus cohortator

inflammat. Silvescunt omnia gladiis, ruben clypei, vociferantium clamor attollitur, minaces armatorum fremitus inhorrescunt, tela stringuntur, et solus adversae partis impetus ad congregiendum accensis manibus expectatur. Abbas autem, non in armis terrenis spem suam, sed humanae salutis auctore consuens, cunctis, qui pro se dimicare convenerunt, solum prohibuit comitatum; solos autem monachos suos equis imposuit, capita cucullis operiri praecipit, sicut cum illis, velut galeatis et et loriceis fidei monumento crucisque vexillo, ad locum certaminis venit. Cumque vir ille non ferrea, ut sperabat, arma conspiceret, sed tamquam caelestem atque angelicam aciem adventare cominus advertisset, tantus eum cum suis omnibus divini timoris horror invasit, ut desiliens de equis, protinus arma projicerent, terrae se humiliter sternere, indulgentiam flagitarent. Sic, sic nimirum titulos victoriae triumphalis obtinuit, qui non in frementibus equis, non in micantibus gladiis spem posuit, sed ex divinae tantum potentiae virtute praesumpsit. »

DOMINICA VI. POST PENTECOSTEN

EVANGELIUM. MARC. VIII.

In illo tempore cum turba multa esset cum Jesu, nec haberent quod manducarent, convocatis discipulis, ait illis: Misereor super turbam, quia ecce jam triduo sustinent me, nec habent quod manducant; et si dimisero eos jejunos in domum suam, deficient in via. Quidam enim ex his de longe venerunt. Et responderunt ei discipuli sui: Unde istos quis posterit hic saturare panibus in solitudine? Et interrogavit eos: Quot panes habetis? Qui dixerunt: Septem. Et praecipit turbae discumbere super terram. Et accipiens septem panes, gratias agens, fregit, et dabat discipulis suis, ut apponerent, et apposuerunt turbae. Et habebant pisciculos paucos, et ipsos benedixit et jussit apponi. Et manducaverunt, et saturati sunt, et sustulerunt, quod superaverat de fragmentis, septem sportas. Erant autem, qui manducaverant, quasi quatuor millia, et dimisit eos.

CONCIONES.

- I. Gula et luxus reprehenditur, temperantia et sobrietas commendatur.
- II. Quinque excessus gulae.
- III. De damnis ebrietatis.
- IV. Cur Germani ad ebrietatem procliviores sint, causa.
- V. Mundi amatores nunquam satiari ostenditur.
- VI. Pauperes instruuntur.
- VII. Quam convenienter instituta sint septem sacramenta.
- VIII. Qua ratione paranda et acquirenda sint virtutes morales in voluntate sitae.

- IX. Documenta.
- X. Mystera.

CONCIONES AUCTARII.

- I. Quamobrem Christus miraculo multiplicavit panes.
- II. Vulgus, seu turba hominum commiseratione digna.
- III. Penitentia, quae in mortis articulo fit, suspecta.
- IV. Quomodo verbum Dei audiendum.
- V. Septem media ad proficiendum.

CONCIO I.

GULA ET LUXUS REPREHENDITUR, TEMPERANTIA ET SOBRIETAS COMMENDATUR.

- I. Abstinencia: 1. Animam servat. 2. Acuit intellectum. 3. Vitam prolongat. 4. Opes conservat. 5. Magni apud Deum est meriti. — II. Gula: 1. Animam prodit. 2. Mentem hebetat. 3. Morbos gignit. 4. Paupertatem affert. 5. Multas post se culpas trahit. 6. Gulae punita mala.

THEMA.

Manducaverunt et saturati sunt. Marc. VIII.

Duas in paradiso arbores peculiari nota insignivit Deus, arborem vitae, et arborem scientiae boni et mali: illa gustanti vitam; haec vero

afferebat mortem: illam hominibus concessit; hanc autem vetuit Deus. Verum serpens ille dolosus suasit arborem mortis, et vero eam persuasit. In hoc etiam mundi exilio duas reperimus arbores, praedictis non absimiles, temperantiam et gulam; quarum illa vitam; haec dat mortem: illa nobis suadetur; ista prohibetur: ad hanc vocat nos diabolus, caro et mundus; ad illam vocat nos Deus et hodiernum evangelium: in quo audimus quam fragali convivio contenti et saturi fuerint sectatores Christi. Nam primo, panem et pisces tantum legitimus appositos; deinde, non omnia, quae opposita fuere convivas abligurisse, quemadmodum facere solent lurcones et helluones; denique, convivium hoc siccum prorsus fuisse, nullo instructum

potu. Unde factum ut convivæ omnes modeste, pacate et sobrie considerent ac discederent. Quare ut noxiam gulæ arborem magis fugiamus, salubrem vero temperantiæ magis diligamus, illius noxas, hujus commoda videamus.

I. Abstinencia primo, animam servat et quasi quibusdam excubiis munit, ne dæmon eam tentare et occupare queat : unde S. Petrus, epist. 1. c. V. monet : *Fratres sobrii estote et vigilate, etc.* Persæ nunquam non ad latus gladium suum habent etiam in alta pace, teste Ammiano Marcell. 1. XXIII. Sit noster gladius sobrietas, nunquam deponendus ; hoc enim tuemur animam et corpus : hoc attendere ad salutem nostram possumus in omni conflictu. Eo vero destituti, si morte præoccupentur, citius inferni flammæ sentiunt, quam mortem adventantem senserint.

Secundo, acuit intellectum, quia caput serenat et spiritus naturales facit liberos ad speculandum : unde Heracliti adagium : *Anima sicca sapientissima.* Quam ob causam Christum volens nos intentos facere meditationi mortis et iudicii, ait : *Attendite ne forte graventur corpora vestra crapula et ebrietate et curis hujus vitæ et superveniat in vos repentina dies illa,* Luc. XXI. Hujus vero diei cogitatio sobrios requirit.

Tertio, vitam prolongat et conservat in sanitate. Hinc Galenus medicus decimo quoque die jejunium sibi indicebat, sanitatis conservandæ gratia. Hippocrates medicorum princeps ad annos centum et quadraginta vivit. Causam rogatus ait : *Quia nunquam satur a mensa surrexi,* Cælius Rho. 1. XXX. c. XII. Socrates pane et lacte vescens minimoque sumptu vivens, valetudine semper integra fuit. Idem testatur experientia. Ecce rare in pecudibus ægrotudines, frequentes vero in hominibus, nisi quia illæ se non onerant cibo et potu superfluo : hi vero multo maxime ? Idem patet in agricolis, qui parce vivunt et vilibus alimentis.

Quarto, opes conservat. Unde dicebat quidam commessatori suo vicino qui se semper aiebat indigere : « Conquereris quod tibi bona et pecuniæ non suppetant ; at indicabo tibi præsentem amicum, a quo mutuo accipias. Accipe a te, superflua tibi subtrahendo, et cito videbis quam verum sit, quod dici solet : Magnum vectigal est parcimonia, » Chavass. de prudent. 1. III. c. II.

Quinto, magni est apud Deum meriti : *Parcus cibus et venter esuriens,* inquit, S. Hieron. in reg. monach. *triduanis jejuniis præfertur.* Pluvia illa optima censetur, quæ sensim descendit in terras, præceps autem arva subvertit. Notent porro lurcones, qui nullum abstinentiæ meritum esse volunt, id quod ait S. Ambros. epist. ad epis-

copum Vercell. « Audio, inquit, homines, qui dicunt nullum esse abstinentiæ meritum ; delirare eos, qui castigant carnem suam, ut menti subditam faciant ; quod nunquam fecisset neque scripsisset Paulus, si deliramentum putasset. Gloriatur autem dicens : Castigo corpus meum, et in servitutem redigo, etc. » Sane viri prudentes in vitis sanctorum solerter observant nullos pene sanctos miraculis claruisse, nisi illos qui jejuniis et vitæ austeritate excelluerunt, aut saltem persecutionibus a Deo exercitati fuerunt.

II. Contra gula et luxus primo, animam prodit hosti, quia destruit virtutum merita. In cuius rei figuram Nabuzardan princeps coquorum (ut vertunt Septuaginta) regis Babylonis, missus a rege destruxit muros Jerusalem in circuitu, urbem vero succendit et vastavit, IV. Reg. XXV. « Muros Jerusalem, ait S. Gregor. 1. XXX. moral. c. XXVI. coquorum princeps destruit, quia virtutes animæ, dum non restringitur venter perdit. Ad hæc, sicut fumus fugat apes ; sic indigesta eructatio avertit Spiritus sancti charismata, » ait quidam vir eximius apud S. Hier. in reg. monach. Virtutum ergo præsidii et Spiritus sanctus charismata, » ait quidem vir eximius apud S. Hier. in reg. monach. Virtutum ergo præsidii et Spiritus sancti charismatibus destitutus homo, quomodo non in prædam cedit dæmonibus. Destruit etiam muros urbis, dum rationem opprimit et intellectus vigorem, quo velut muro se tuetur homo et continet intra limites honestatis. Deinde, vastat urbem, quia hominem facit belluinum, nam gulæ dediti : *Aliud non faciunt, quam ingerere, digerere, et egerere,* ut ait S. Ber. et ut Seneca, consol. ad Helviam : *Vomunt ut edant, edunt ut vomant.* Quis hominem ebriosum a belluis discernat, si figuram corporis excipias ? Jure ergo S. Chrysostomus, homil. LIV. ad pop. ait : *Numquid mactandi sumus, quoniam nos ipsos saginamus ?* Et quid opus vermibus dicandum corpus tam copiose saginare ?

Denique, incendit urbem, dum libidini fomentum subministrat, quia superfluum cibi et potus vertitur in sperma. Audi exempl. Exod. XXXII. ubi dicitur : *Sedit populus manducare et bibere, et surrexerunt ludere.* Quali putas ludo, nisi eo de quo dictum fuit Udoni episcopo Magdeburgensi : *Udo cessa ludo ?* Ita enim illud ludere exponunt Hebræi, scilicet fornicari ; et Tertullianus, lib. de jejuniis, tametsi jam hæreticus Montanista, ex Scripturæ verecundia. S. Ephrem, tract. de timore Dei, ait : *Qui corporis sui carnes delicate nutrit, concupiscentias malas pascit.*

Secundo, mentem hebetat et obtundit ejus

aciem, quia nebulas perpetuo ei offundit. Unde facit homines ineptos ad vigilandum, laborandum, orandum, studendum, incapaces denique omnis disciplinæ et correctionis : similes asino pisci, quem solet ait Aristoteles cor in ventre habere. Hinc requeunt mente in Deum et divinorum contemplationem assurgere, ut qui mentem et cogitationes omnes in patinis et popinis habent. Hinc Moyses de monte Sinai descendens ad populum epulis lascivientem frangit audacter tabulas legis : *Sciebat enim Dei sermonem audire non posse temulentos,* ait S. Hieron. Similiter Abigail noluit ebrio marito sapientiæ verba insonare, quia frustra se laboraturam vidit (1. Reg. XXV.) sed expectavit sobrium : is porro post decem dies extinctus est, quia talium hominum salus pene desperata est : etenim ex illa correctione nihil emendatus est Nabal, sed : *Factus est sicut lapis,* ut ait s. textus.

Tertio, morbos gignit et vitam abrumpit. Hinc enim quotidianæ corporis molestiæ, capitis defluxiones mucus, saliva, sternutationes, singultus, teste Hippocrate, 1. VI. aph. XIII. Denique, verissimum illud tritum : *Plures occidit crapula, quam gladius,* juxta id Eccl. XXXVII. *Propter crapulam multi perierunt ; qui autem abstinens est, adjiciet vitam.*

Quarto, paupertatem affert, Prov. XXIII. *Vacantes potibus et dantes symbola consumuntur.* Hellogabalus, postea imperator, reprehensus a quodam dicente : *Annon times, ne post delicias pauper fias ?* respondit : *Quid melius, quam ut ipse mihi hæres sim et uxori meæ ?* Lamprid. Digenes divitem quemdam qui sua abliguriverat, olivis vescentem in diversorio videns : *Si sic prandisses,* inquit, *non ita cænares,* Laert. lib. VI.

Quinto, multas post se culpas trahit et pœnas varias. Lædit enim sanitatem, prodigit bona sustentationi propria, uxorum et liberorum necessaria, incendit libidinem, frangit sæpe jejunia, occupat gastrimargos, ut rebus divinis vacent, etc.

Provocat iram Dei, ut videre est per multa exempla. Primum, Exod. XXXII. ubi post gulam expletam et secutam idololatriam Hebræorum, viginti tria millia, jussu Moysis occisa sunt.

Secundum, Num. XI. ubi cupedinarii illi, qui carnes desiderabant in deserto, eas quidem obtinuerunt, sed ad suam perniciem : *Adhuc enim escæ eorum erant in ore ipsorum, et ira Dei ascendit super eos.* immisit quippe in eos Deus ignem, qui devorare devoratores cepit. In cuius rei memoriam locus ille vocatus est : *Sepulcra concupiscentiæ.*

Tertium, Judicium XVI. ubi Philisthæi in convivio gulæ dediti ruina domus oppressi sunt.

Quartum, Daniel V. ubi Balthasar et Babylonii quasi securissimi festa et convivia agitantes, et ex vasis templi edentes et bibentes, somno vinoque sepulti, trucidati sunt a Cyro, postquam is Euphratem (cujus præsidio nitebantur Babylonii) in varias fossas alio abduxisset, ita ut sicco pede ad urbem penetrare posset, ut ibi tradunt interpretes.

His adde recentiora. Anno 1281. inquit ex Æmi. 1. VII. Genebrardus, lib. IV. chron. Siculi impatientes libidinis et insolentiæ militaris Gallorum, die paschæ ad pulsum campanarum convocantium ad vespas, omnes Gallos ad unum supra octo millia, cum uxoribus etiam gravidis, intra duarum horarum spatium contrecidarunt : unde proverbium : *Vesperæ Sicilianæ,* seu, *vesper Siculus,* de subita cæde. Ita nimirum verificatum fuit illud Job : *Ducunt in bonis dies suos, et in puncto ad inferna descendunt.*

« Anno 1544. Muleasses Tuneti rex, cum Neapoli degeret, anno Domini 1544. a prorege laudatissime habitus, Neapolitanis novo cultu, vescendi more, et exquisitissime odoramentis, admirationi fuit. Dapibus ejus ex regiæ culinæ disciplina prodigiosi sumptus unguenta infarcebantur, adeo ut pavonem cum duobus phasianis conditum observatum sit centum aureorum impensam excessisse. » Id memorat Surius, com. anno. Dom. 1544. « Luxum hunc brevi secutus est exitus : nam post paucos menses a filio Amida occupato regno, ipse Muleasses pater fugiens ac latens, nulla re magis, quam unguentorum odore ab hostibus agnitus etiam captus est. Eum ad se adductum Amida filius utroque orbatum lumine crudeliter excæcavit, candenti scalpello proscissa utriusque oculi pupilla, » eodem loco Surius. Sunt hi profusiores luxus fructus. Vitellii ingluvies, opiparæque dapipes, ut Suetonius ait, profusiores fuere, et versa in illius perniciem : nam cum ab amicis sibi convivia parari ipse sæpe postularet, nemo in hujusmodi epulis minus pecuniarum absumpsit, quam nostro sæculo pecunia numerata decies mille aureorum, et quæ suo sumptu agebat convivia, longe erant profusiora : nam, Platina teste, præter id, quod sæpius in die ederet, una cœna suo jussu duo piscium millia et avium septem millia apposita sunt. Cujus imitatione Albinus, et ipse imperator infaustus, tantæ voracitatis fuisse memoratur a Codro, ut una cœna comederit centum persica Campana, decem pepones Ostienses, quingentas ficus pasarias, ac quadringenta ostrea, recensuit Platina in Pontiano, 1. Exitus hæc probavit, qua insania fierent, præter id, quod Albinus brevissimo intervallo a militibus obruncatus est. Vi-

tellius quoque cœno fimoque jactatus, ac furca sub mentum posita, diu per urbem tractus in scalis Gemoniis omnium ludibrio jacuit, ac tandem excarnificatus in Tiberim projectus est, Platina, in Lino, I. Maiol. tom. 1. coll. XIX.

Halberstadii, ut scribit Fincelius, l. II. quidam divitiis affluens, splendide quotidie victitabat, genioque et voluptatibus indulgens, christianæ pietatis æternæque salutis negligens adeo factus est ut dicere non dubitavit, si talem in terris vitam perpetim sibi liceret agere, se Deo cœlum suum nunquam invidere velle. Brevi post præter suam expectationem mortuus est. Post mortem talia in ædibus ejus magnifice extractis quotidie circa vesperam apparuere spectra, ut ab omnibus desererentur: nemine eas incolere auso. Apparuit vir ille dives cum suis convivis in comaculo, quod deliciis et conviviis destinatum erat; adsabant famuli, faces manibus tenentes, aureaque pœcula et crateras mensis imponentes opipareque instructis ferculis mensas onerantes fidicines præterea, tibichinesque adstant, nec quidquam deerat splendoris ejus, quo dum in vivis erat, vir iste opulentus usus fuerat. Deo permittente ex Satanae operatione, spectra hæc oculis hominum observata fuere, ut ab Epicureorum impietate deterrerentur. Bene ergo et serio monuit Dominus, Luc. XXI. *Attendite ne forte graventur corda vestra crapula et ebrietate, et curis hujus vitæ, et superveniat in vos repentina dies illa.* Mirum non est, si tales diu vivere non sinantur; ad nihil enim utiles sunt, nisi ad fruges absumendas. Denique, tremendum est, quod minatur iis Dominus, Luc. VI. *Væ vobis, qui saturati estis, qui esurietis, etc.*

CONCIO II.

QUINQUE EXCESSUS GULÆ.

- I. Ante tempus comedere. — II. Cibos lautiores querere. — III. Ciborum exactiorem præparationem requirere. — IV. In quantitate excedere. — V. Nimio desiderio in cibos ferri.

THEMA.

Misereor super turbam, quia non habent quod manducent. Marci VIII.

Dubitari potest, auditores, an conveniat misereri quam plurimorum hominum, qui non habent quod manducent. Ex una enim parte commiserationem exigunt, quia penuriam patiuntur rei summe necessariæ, quam Deus omnibus providit, qua de causa etiam Dominus in hodierno evangelio misertus est super turbam escis destitutam. Ex altera vero plurimi commiserationem non merentur, quia quod esuriant,

ipsi in causa sunt, nimia ingluvie, luxu et intemperantia. Sane in parco et temperanti convivio semper est quod supersit, uti in hodierno septem sportæ, et alibi in simili duodecim fragmentorum cophini: in prodigo nihil superest, imo semper aliquid deest. Quare si nosset homines temperanter vivere, non dubito quin omnes haberent, quod manducarent, imo et quod de mensa colligerent. Hoc vero quia non fit, hinc miseria illa, ut non habeant quod manducent. Quare omnibus consideratis revera est quod misereamur hujusmodi mortalium, non tam quia egent, quam quia culpa sua egent et ipsa egestate sua Deum graviter offendunt, dum sineratione velut pecudes vivunt; siquidem homo cum irrationabiliter vivit, tunc revera miser est. Ita enim Aristoteles dixit, 1. pol. *Sicut optimum animalium est homo fruens lege et justitia, sic pessimum animalium est a lege et justitia separatus.* Quare videamus, quibus modis homines peccent in temperantiam, ut ita deprehensis scopulis vitare eos possint.

D. Gregorius, l. XXX. mor. c. XXVI. quinque modos indicat, quibus delinquitur per gulam, iis verbis: « Quinque nos modis gulæ vitium tentat. Aliquando namque indigentia tempora prævenit: aliquando vero tempus non prævenit, sed cibos lautiores querit: aliquando quælibet sumenda sint, præparari accuratius expectat: aliquando autem et qualitati ciborum et tempori congruit, sed in ipsa quantitate sumendi mensuram moderatæ refectionis excedit: nonnunquam vero et abjectus est quod desiderat, et tamen ipso æstu immensi desiderii deterius peccat. »

I. Itaque delinquant, qui ante vel extra tempus debitum et consuetum involant in cibum et potum; cujusmodi exemplum ponit D. Gregor. loco cit. de Jonathâ: *Qui mortis sententiam patris ore meruit, quia in gustu mellis constitutum edendi tempus antecessit.* 1. Reg. XIV. Verum in eo Jonathâ excusandus erat, quia edictum patris nescierat; abstenturus et ipse alioquin cum universo exercitu usque ad præfinitum tempus. Peccant igitur hic, qui summo mane vix e lecto egressi, mox cibo se et potu ingurgitare incipiunt, parvulorum instar nulla prævia benedictione, imo forte nondum inscripta fronti cruce. Parvulis quidem id probrosum non est, quia aguntur instinctu naturali et crebro indigent alimento, quo crescant; at vero in adultis turpe hoc et fœdum est, præsertim cum se vino adusto aut potu alio nimio replent, quo ad laborem inutiles fiant et incurrant ebrietatem. Taxavit hoc in principibus viris Ecclesiast. c. X. *Væ tibi terra, inquit, cujus principes mane comedunt. Beata terra cujus principes vescuntur*

in tempore suo. Si intemperantia illa principes non decet, num decebit plebeios? Væ, ait illis Isaias, c. V. *qui consurgitis mane ad sectandam ebrietatem.*

Eodem pertinent, qui licet non ante, extra tamen consuetum tempus esitant aut potitant. Et isti enim gulæ se mancipia esse demonstrant, et valetudinem suam non parum affligunt. Dic enim mihi, quæso, si carni in olla jam semicotta, rursus cruda apponeretur caro, et huic ad medium elixatæ rursus alia elixanda adjiceretur, qualis ista coctura foret? Vel si ollæ bullienti subinde frigida affunderetur, quando tandem aqua excoqueretur? Par ratio est cum stomacho, qui dum recenti cibo et potu subinde oneratur, quomodo facere concoctionem potest? Hinc igitur existunt podagræ, hinc membrorum tremor et articularum contracturæ. Unde S. Chrysostomus, hom. 1. ad pop. ait: « Non ita terræ natura vexata aquarum superabundantia continue dissolvitur, ut corporis vis mollescit, diffluit et exilis redditur vini potu continuo ingurgitata. » Augest hanc intemperantiam quod fere sine oratione aut benedictione prævia in cibum involatur. Parvuli quidem jubentur mensæ benedictionem facere, interim vero parentes eorum cæterique adulti nihil minus quam de oratione cogitant, sed nugantur sæpe, garrunt aut rident. Quid? Nonne cernimus boves priusquam carpant herbas, halitu explorare, utrum salutare sint? Hæc illorum benedictio est, quia aliam non didicerunt. Et nonne fieri potest, ut una vel plures escae in mensam apponantur, quæ valetudini tuæ obesse, imo mortem offerre possunt, vel ipsum etiam dæmonem, quemadmodum moniali illi apud S. Gregorium? Sed difficile mihi est, inquis, statim mensæ horam expectare. Fac igitur quod aliquis in vita pp. II. c. III. fecisse legitur; qui cum impostura diaboli fame urgeretur hora prima diei, imperavit sibi ut expectaret usque ad tertiam: et cum tertia esset, usque ad sextam, et cum sexta, porro usque ad nonam, quæ erat stata prandii hora. Qua exercitatione secundo tertiove repetita, sic dæmonem famemque vicit, ut nec post biduum esuriret.

II. Qui cibos lautiores querunt. Hanc ob causam: *Ex Egypto populus eductus in eremo occubuit, quia despecto manna, cibos carniæ petiit, quos lautiores putavit,* inquit D. Gregorius, loco indicato. Prestabat sane manna Hebræis sapor omnium ciborum, quoscumque appetebant, ut habetur, Sap. XVI. adeoque etiam carniæ; nihilominus tamen quia color, odor, forma et figura mannae semper eadem erat, nauseam ejus ceperunt; quod faciunt et gulones, pueri

præsertim, qui sæpe non tam os et ventrem, quam oculos et phantasiam cupiunt exsatiare. Ad hæc sua pecora habuerunt secum Hebræi, quæ poterant occidere; sed quasi hi, non contenti, alias easque lautiores desiderabant carnes utpote coturnicum, uti vult S. Augustinus (tametsi hoc Scriptura non exprimit). Hunc in modum Epicurei nostri tritas et communes epulas paulo sæpius repetitas, illico aspernantur, lautiores et delicatiores volunt, quodque magis culpandum, exteras et peregrinas, magno pretio constantes, tametsi nostratibus cibis nihilo sunt meliores. Solum hoc delectat eos, quod peregrinæ sint et caræ. Quæ sanè non parva est stultitia. Nam imprimis natura commodissime nutritur cibis propriæ terræ, utpote a Deo ita contemperatis, ut prodescent suis maxime incolis. Hinc creaturæ aliæ cibis illis contentæ sunt, quæ in earum terris reperiuntur et nascuntur. Unde Seneca: « Una silva pluribus elephantis sufficit: homo vero vix pascitur terra marique. » Deinde, lautiores epulas non requirit fames. Culinæ nostræ illa præscripta sunt, quæ recenset Seneca, ep. IV. « Non esurire, non sitire, non algere. » Ipse: « Epicurus voluptatis assertor, inquit S. Hieronymus ad Jovin. omnes suos libros replevit oleribus et pomis et vilibus cibis dicit esse vivendum, quia carnes et exquisitæ epulæ, ingenti cura ac miseria præparentur. » Ad hæc delicati et peregrini cibi magno pretio constant, et tandem hominem ad pauperiem redigunt, dum quandoque: *Una comedunt patrimonium mensa,* ut ait Juvenalis. Quod sane non raro fit in nuptiis aliisque conviviis, tanto luxu ac pompa instructis, ut quandoque lucrum unius anni vix sufficiat ad reparandos illos sumptus. Hinc Hieronymus, ep. ad Salvinam ait: « Procul sint a conviviis tuis phasides aves, crassi turtures, attagen Ionicius, et omnes aves, quibus amplissima patrimonium avolant. » Denique, luxus ille nimius in detrimentum cedit pauperum, quibus superfluitas illa debetur. Audiamus S. Basilium: « Nonne spoliator es, inquit, quæ dispensanda accepisti, reputando propria? Est enim famelici panis, quem tu tenes: si tunicam, quam in conclavi servas: discalceati calcei, qui penes te marcescunt: indigentis aurum, quod possides humatum. »

III. Qui ciborum exactam præparationem querunt accuratius. Et hinc: *Prima filiorum Heli culpa suborta est,* inquit Gregorius, loco cit. *quod ex eorum voto sacerdotis puer non antiquo more coctas vellet de sacrificio carnes accipere sed crudas quæreret, quas accuratius exhiberet,* 1. Reg. II. Coquebantur simplici aqua carnes sacrificii ex recepto more. Verum hujus elixationis